


NUMMUS FERALIS

CUSUS IN MEMORIAM HUL-
 DARICI ZWINGLI TIGURENSIUM CONCIONATO-
 ris, occumbentis in prælio contra quinque
 pagicos gesto. Anno Chri-
 sti 1531.



QUÆ causæ primæ fuerint, ut Tigurini & Bernates contra
 Quinque pagicos arma caperent, omnemque iisdem com-
 meatum intercluderent, hic recensere foret longius: ad Hi-
 storicos Lector benignus remittitur. Quinque pagani certè
 cum maximâ rerum necessariarum inopiâ premerentur, si-
 lentio conductis copiis, signa proferunt, & opinione citius
 ad Tigurinorum fines perveniunt: quibus in finibus erat jam ante disposi-
 tum à Tigurinis præsidium circiter mille militum & amplius. Et hi quidem
 suos monent, crebris in oppidum dimissis nuntiis, ut mox advolent: sed
 tanta fuit hostium celeritas, ut hi ægrè subsidio venire possent. Et cum jam
 superassent montem, quâ faciundum erat iter, laborare suos in proxima
 valle, & in præsentī periculo versari conspiciunt, ibi tum ad virtutem sese
 cohortati promiscuè decurrunt ex monte, cujus hæc erat natura, ut singula-
 ribus eundum esset. Ea res in causa fuit, cum universi non possent in acie
 consistere, ut multitudo superati plurimos è suis desiderarent, ac terga
 verterent. Fuit hoc ii. die Octobris. In cæforum numero fuit Zuinglius.
 Nam Tigurinorum ita fert consuetudo, cum in hostem exitur, ut Ecclesiæ
 minister primarius unâ prodeat. Zuinglius etiam vir fortis & animosus,
 cum secum reputaret, quod si domi resideret ac prælium fortè fieret adver-
 sum, fore ut magnam ipse sustineret invidiam, quasi concionibus quidem
 accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remollesceret, vo-
 luit omninò communem subire Martem. In corpus autem exani-
 me valde sævitum fuit, & vix etiam illius morte po-
 tuit odij acerbitas exaturari.

Sleidanus.